21

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
ÆGRUM PHTHISICUM EXHIBENS,

Quam

PRÆSIDE AC DUCE
ARCHIATRO COELESTI,
DECRETO ET AUCTORITATE
GRATIOSISSIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ,
IN INCLYTA NORICORUM
UNIVERSITATE ALTDORFFINA

Pro

Summis in ARTE MEDICA Honoribus,
Privilegiis & Immunitatibus Doctoralibus
ritè & legitimè obtinendis

Publicè ventilandam proponit

JOHANN-GEORG. Laib/
DÜNCKELSBÜHLA-SUEVUS,
Phyſicus ibidem Ordinar.

Ad diem 4. Januarii, ANNO M D C LXXXI.

ALTDORFFI,
Literis Henrici Meyeri, Acad. Typogr.

PROOEMIUM.

VT areſcentem & carioſam arborem difficile eſt reſtituere; ita & Phthiſicum reſtituiſſe non minima laus eſt. Formidabilis affectus, vel ob hoc ſolum, quod principia ſua adeo abſcondat, ità, ut plerumq; tunc demum de præſentia ejus certi reddamur, poſtquam altas jam jecit radices.

Siſto TIBI, B.L. Ægrum, hôc affectu laborantem, quem locô Diſſertationis Inauguralis curandum propono. Si per exempla brevior eſt via, forſan hæc methodus TIBI non adeò diſplicebit. Faxit DEUS, ut negotium hoc cedat FELICITER!

CASUS.

VIr in conſiſtente ætate conſtitutus, proceræ ſtaturæ, habitûs corporis ſtrigoſioris; cæterà bilioſi temperamenti, ob functionem publicam & concatenatos labores iræ ſæpius indulgens, cùm ante aliquot annos, in colligendis certis

herbis ſe nimium defatigâſſet, domumq; rediens, frigidiori aëri corpus expoſuiſſet, circa veſperam ſanguinem floridum & ſpumoſum per os excernere cœpit; quô iterum brevi disparente, ipſe de nihilo amplius ſolicitus, non longô pòſt tempore, crebrâ tuſſi corripitur: varia per os ejicit, alba, livida, purulenta; cumq; variis Conſervis & Electuriis lenimen aliquod ſibi procurâſſe viſus fuerit, corpus nihilominus tamen plùs juſtô paulatim extenuari ſentit. Nuperô autumnô, inſignem totius corporis laſſitudinem & reſpirationem difficilem percipiens, conqueritur inſimul de Appetitu proſtrato, ſiti auctâ, imminutô ſomnô. Ob pedes tamen circa veſperam intumeſcentes, licèt hic tumor per noctem plerumq; dispareat, territus petiit Conſilium.

RESOLUTIO.

A*ffectus*, quô cum æger noſter conflictatur, eſt PHTHISIS, nominis ſui originem græco verbo φθίνειν, quod *contabeſcere, extenuari* ſignificat, debens. Sic dicitur hauddubiè, quòd exulcerationem pulmonum, in qua propriè formalitas hujus morbi conſiſtit, ſi ſcilicet hic per notabile tempus duret, ſemper corporis conſumptio & extenuatio inſequatur.

Laborare autem Ægrum noſtrum hôc affectu, teſtantur *Signa* in hiſtoria relata.

1. Es-

1. Essentialiter Inhærentia, ſputum nimi-
rum purulentum, tuſſis crebra, reſpiratio difficilis.

2. Essentialiter Consequentia, corporis ex-
tenuatio, laſſitudo, appetitus proſtratus, ſitis aucta, ſomnus
imminutus, pedum tumor œdematoſus.

Subjectum conſtituunt *Pulmones*, pars ad ſanguinis
motum tùm inteſtinum tùm localem, adeoq; ad vitam ſum-
mè neceſſaria, quorum admiranda & accurata ſtructura ex
Malpighio & *Williſio* peti poterit.

Causa Immediata eſt ſanguinis per os excreti, intra
pulmonum lobos, reſtitans quædam portio corrupta, quæ
acrimoniâ ſuâ poſtmodum viſceris hujus exulcerationem
produxit.

Causa Mediata proximior eſt *Sanguis*, tùm *Sub-
ſtantiæ modô*, tenuitate ſcil. nimiâ peccans: tùm *Quantitate*,
quæ in ſubjectis mediæ ætatis reſpectivè adhuc plus minùs
abundat: tùm *Qualitate*, dum particulis ⊖inis, acribus &c.
urget; tùm *Motu*, tàm *inteſtino*, quàm *locali*, ab exercitio
corporis, diutiùs quàm par eſt, protracto, ortum ducente,
ruptionem vaſorum poſt ſe trahens, peccans.

Causæ Mediatæ Remotiores, intuitu *Rerum na-
turalium* poterunt eſſe.

1. *Ætas*, reſpectu ſanguinis copioſi, qui in hac ætate ad-
huc abundans utplurimùm deprehenditur.

2. *Temperamentum bilioſum*, ubi Maſſa ſanguinea ⊖ibus
acrioribus, volatilibus, minusq; oleoſis ſcatet.

3. Habitus corporis ſtrigoſior, temperamento conſen-
tiens.

Ex *Non-naturalibus* ſe ſiſtit

1. *Ira frequens*, qui affectus, quæ quantaq; mala cieat,
honeſtæ obſervationes non infrequenter teſtantur; quatenus
ſanguinem, ♌usq; inſigniter commovendo, vaſorum ruptio-
ni frequentiſſimam anſam præbet.

 2. *Mo-*

2. *Motus nimius*, ſanguinem exagitans, ut hic ebullien cum impetu extra ſuos alveos naturales feratur, ruptisq; te nerioribus vaſculis, inflammationes, mictiones, vomitione & expuitiones cruentas pariat.

3. *Aër frigidior*, intra corpus æſtuans admiſſus ſangui nem coagulans, cujus ſtagnationem poſtmodum vaſculi cu jusdam ruptio ſecuta fuit.

Ex præter-naturalibus rebus occurrit in noſtro ægro HÆ MOPTYSIS, quatenus probabiliter portio quædam ſangui nis extravaſati intra pulmones relicta fuit, quæ extra locu ſuum naturalem degens corruptionem ſubiit, & proximè a jacentes, ſibiq; contiguas veſiculas erodens, hâc labe easde affecit.

Non erit jam difficile, tot tantorumque ſymptomatu reddere cauſam. Nempe

1. *Sanguis fuit per os excretus*, ob ruptionem vel ape tionem alicujus vaſis, *ſpumoſus* & *floridus*, eò, quòd ex pu monibus prodierit; cùm in hoc viſcere ſanguis per ejus ſu ſtantiam tranſiens, inſignem ſubeat alterationem; ita, ut q per Arteriam pneumonicam nonnihil ater propulſus, ex a tero latere per Venam pneumonicam totus floridus, purp reusq; iterum redeat, & in ſiniſtrum Cordis ventriculum ruat.

2. *Crebrâ tuſſi correptus fuit*, ob materiam acrem, p mones, vel potiùs membranam aſperæ arteriæ ſubinde ritantem.

3. *Varia ejicit: alba, livida, purulenta*; puris videli portiones ab ulcere pulmonum deciduas.

4. *Corpus paulatim contabeſcit & extenuatur*; partim nutrimenti laudabilis defectum; lympha ſiquidem nutrit dum ipſi in tranſitu per pulmonum compagem, putri ulceris particulæ affricantur, acrior non tantùm evadit

d nutriendum inepta redditur, ſed & gelatinoſas & nutritivas articulas, poris fibroſarum partium jamdum impactas ıcceſſivè reſolvit & conſumit; *partim* ob fibrarum admit- :ntium ſive recipientium mollitiem & flacciditatem; *partim* b Ωuum paucitatem & impuritatem.

5. *Corporis laſſitudo*, ſanguinis boni, Ωuumq; penuriæ ıos debet natales.

6. *Reſpiratio difficilis*, propter læſum Reſpirationis orga- ɔn, & bronchiorum à materia purulenta obſtructionem :itur.

7. *Appetitus proſtratus*, cujus cauſa vel ſola eſſe poteſt ebrior Conſervarum & Electuariorum uſus, cùm nihil ma- s appetitum dejiciat, quàm ſacharata & mellita; quatenus ɔn tantùm per Mechanicam Ωum acidiſſimum de ſe fun- ınt, ſed & in Ventriculo præprimis aceſcunt, peregrinis rmentationibus, pituitæ accumulationi & vaſorum ob- uctioni anſam præbent, & mille mala producunt.

8. *Somnus imminutus*, ob tuſſim crebram, de nocte raró ducias concedentem.

9. *Sitis aucta*, ob particulas acres, Θnas, ſui abluitionem ɔſtulantes.

10. *Pedum tumor œdematoſus*, ob ſerum acre & tenue travaſatum, per ſpatia ſubcutanea & intermuſcularia, pro- iâ mole deorſum tendens, pedesq; in tumorem attollens, ıi tumor an per noctem diſcutiatur, an verò per vaſa re- eet, non adeò facilè determinatu eſt, quamvis poſterius ſit obabilius.

Perſpectis jam *φθίσεως naturâ, cauſis & ſignis Diagnoſti-*, progredior ad *Prognoſin*; ubi juxta Artis Procerum mo- :um ad tria principaliter attendendum: ad ipſum ſcilicet *ventum*, ad *Tempus* & *Modum Eventûs*.

Ratione Eventûs & *Exitûs*; ſi Affectum, qui jam invete-

ratus

ratus eſſe videtur, ſi ſymptomatum graviſſimorum ſyndromen reſpiciamus, triſtis & calamitoſus non ſine ratione pronunciandus erit; præprimis cùm à quamplurimis hic affectus ſimpliciter pro incurabili habeatur, quorum rationes videri poſſunt apud ipſos Autores; quod tamen de confirmata phthiſi meritò tantùm intelligendum eſt. Malum omen præterea præbet tempus anni, cùm juxta *Hippocr. 3 aphor. 10. Autumnus tabidis exitio eſſe ſoleat*; aliæq; circumſtantiæ plures. Verumenimverò, cùm obſervationes teſtentur, quàmplurimos evaſiſſe, qui pro deſperatis habiti fuerunt, hinc & nobis non omninò deſperandum erit.

Tempus Eventûs exactè definiri non poterit, eò, quò hic Morbus modò plurium, modò pauciorum Annorum vel menſium terminetur curriculô. Ad ejiciendum tamen hunc hoſtem, multô tempore opus eſſe, quivis facilè judicare poterit.

Modus Eventûs ad ſalutem fit per excretionem ejus quicquid eſt in pulmonum cavernulis apparatûs morbifici quam Ulceris conſolidatio poſtmodum ſequi debet.

JAM QUID CONSILII?

Curationem eſſe maturandam, affectûs ipſius vehementia & ſymptomata periculi, terroriſque plena anxiè ſuadent. Inſiſtamus igitur *rectæ Medendi Methodo*, Indicationibus conſuetis fundatæ; quæ Indicationes ex gemino fonte fluunt, qui ſunt *Conſervatio eorum, quæ ſunt ſecundùm Naturam & Ablatio eorum, quæ p. n. ſe habent.*

Cùm itaque Affectus noſter ſit Morbus ſolutæ Unitatis, Indicatio quoq; curativa, à Natura morbi, i. e. *Ulcere, conſolidationem poſtulante* deſumatur, ut partes divulſæ & à invicem disjunctæ in priſtinam redeant unitatem.

Quoniam autem ſcopus hic obtineri non poteſt, niſi

motâ, unde dependet, causâ, hinc Materia morbifica ſui præparationem & evacuationem indicat.

Obſervabimus autem in noſtra Cura quatuor potiſſimùm ſcopos. 1. *Dyſcraſia ſanguinis & acrimonia lymphæ corrigatur.* 2. *Sordes pulmonum per expectorationem removeantur.* 3. *Ulcus pulmonum curetur.* 4. *Simul Digeſtio & Ventriculus attendatur.*

Primum Scopum obtinebimus, ſi ordinemus talia, quæ hûc faciunt, in quem finem commendantur Helenium & ex hoc parata, paſſulæ & omnia paſſulata, glyzyrrh. ocul. 69. corall. margarit. ♁ ium diaphoret. Antihecticum Poterii, & omnia ex ♁ io cum ♃ & ♂ fixata compoſita. Conveniunt hîc etiam Decocta lignorum, v. g.

℞. *Raſur. lign. ſaſſafr.* ℥ij.
chinæ in taleol. conciſ. ℥j.

Macerentur per noctem, ſtent in MB. Ebulliant ad conſumptionem tertiæ partis. Colat. fervidæ ad de paſſul. conſ. ℥ij. vel ℥iij. Syrub. papav. rhœad. q. ſ. M. & calidè manè, meridiè veſperiq; bonum præbe hauſtum. Si incraſſandum eſt ſerum vel ſanguis, in uſum trahi poterit Tinctur. Antiphthiſica Gramman.

Scopum ſecundum obtinebimus per *Expectorantia*; qualia ſunt: Nicotiana, Salvia, marrubium, Conſerva roſ. Solat. Jujub. hyſſop. hedera terreſtr. ſcabioſa. Commendatur hîc ab Excellentiſſimo Dn. D. Ettmüllero in Colleg. Pract. MS. pulv. Cornachini, cujus deſcriptio hæc eſt:

℞. ⊖ ✻ ci puriſſ.
⊕ ān. ʒß.
rad. liquirit.
ireos flor. ān ℥j.

M. f. pulv. de quo omni manè & circa veſperam, quantum cuſpis cultri majoris capit, utatur. Referri hûc poterit Lactis

ctis uſus, præprimis Lac muliebre, quod maximopere proficuum deprædicant Autores, ſugendo illud à mammis mulieris ſanæ, in bona menſurâ, indies bis vel ter. Quâ ratione *Felix Platerus, Prax. lib. 3. c. 5.* aliquot reſtitutos novit, additq; aliquem non convaluiſſe ſolùm: ſed & tantas vires recepiſſe, ut (ne Lac ipſi in poſterum deficeret) nutricem de novo imprægnârit. Felicem hujus uſum plures deprehenderunt ſalutarem. Non omnibus tamen promiſcuè exhibendum eſſe, non fruſtrà monent Autores; ventriculo enim impuro, hypochondriisq; malè ſe habentibus ſi propinetur, Hydrops ne ſuboriatur, metuendum eſt.

Sed properamus ad *tertium Scopum*, cui ſatisfacient *Vulneraria* & *Balſamica*, qualia ſunt Veronica, Hedera terreſtri Chærefol. Symphyt. pulmonaria maculoſa, ſanicula, pimpinella, ſanguiſorba, pyrola, piloſella, alchymilla, plantago, &c. ex quibus decocta parentur & in uſum trahantur. Inter Balſamica eminet Balſamus Peruvianus, vel de Copaipa ad aliquot guttulas, vel cum Saccharo, vel in calido juſcul. hauſtus, Balſamus item Sulph. terebinth. ſuccinat. aniſat. &c. ex quorum uſu aliquandiu continuato inſignem æger noſte fructum expectare poterit. Sulph. ♁ ii Gramman. Pingue do canis, humana, viperina, ex quarum uſu plures etiam reſtitutos fuiſſe, obſervationes Medicorum teſtantur.

Pro ſpecificis & *arcanis* Borellus habet Butyrum humanum & Elixir ſanguinis humani. In radice piloſellæ hum repentis reperiri dicitur, folliculus liquore rubicundô re pletus, qui liquor circa feſtum Johannis collectus experti ſimum & certiſſimum in deſperata etiam Phthiſi remediu eſſe perhibetur, Autore *D. D. Michaële in Colleg. Pract. M* Imò ab Amico habeo, ex hujus liquoris convenienti uſu d ſperatiſſimum & ab omnibus pro deplorato habitum, Phth ſicum, intra trium ſeptimanarum ſpatium feliciſſimè fui

reſ

reſtitutum, redeunte vividô & floridô colore, cum robore & incremento totius corporis. Ego tamen hunc liquorem hactenus reperire non potui, quanquam non ſemel de induſtria illum quæſiverim.

Producendi ſunt etiam in Proſcenium *Suffitus*, non quidem illi, qui ex Auripigmento parantur, cùm hi ſuffitus mihi admodum ſuſpecti periculiq; pleni videantur. Sed fumum ſuccini intellectum volo, Sulphuris, Ambari & Betonicæ, ex cujus uſu, teſte *illuſtri Boyleo*, Phthiſis à Medico quodam feliciter curata fuit, cujus generis exempla, ſi opus foret, plura adduci poſſent.

Qui curis Magneticis non omnem denegant fidem, Ovum in urina ægrotantis coctum formicis objiciunt; alii ſanguinem ovo includunt, donec putreſcat, hinc ſui præbent; alii aliis hujus generis remediis utuntur, quorum fidem in medio relinquimus: non tamen propterea Magnetiſmo aliquid detractum volumus.

Sed ſatisfaciendum quoq; eſt *quarto Scopo, Ventriculo videlicet, ejusq; digeſtioni;* quod præſtamus, pro re natâ, Elix. PP. Liquor. terræ fol. tart. ♎ ⊖i dulci, Eſſent. ambræ ſiccâ in vino Malvatico diſſoluta ad gr. xij. xv. &c. quæ ſummæ efficaciæ eſt, vitali ſimul indicationi, *Virium videlicet conſervationi* proſpiciens. ♎ Maſtich. ⊖ abſinth. cichor. &c. fœces mucilaginoſas diſſolventibus.

Chirurgicum fontem ſi adeamus, ſe offerunt *Fonticuli*, qui in Phthiſi, præſertim à Lympha ⊖sâ & acri ortum ducente, non ſpernendum uſum habent. An verò *Paracenteſis* hîc etiam locum habeat, meritò dubitamus, cùm operatio hæc, meô quidem judiciô, nullum commodum afferre videatur; potius ægrum in vitæ periculum conjiceret.

Verumenimverò cum ſine *recta Diæta* incaſſùm adhibeantur Medicamenta, omnesq; Medicorum conatus ſint fruſtranei, meritò etiam de hac ſoliciti erimus. Aër itaq; in caliditate & frigiditate temperatus, ad ſiccitatem tamen nonnihil vergens; quô ipsô imitamur *Galenum*, tabidos Tabias, quòd Aër ibi eſſet purior & ſiccior, ablegantem. Cœlo pluvioſo vel nubiloſo ſe nunquam committat æger, neque ad ripas ſtagnorum, locorumq; putidas particulas exhalantium ambulet. Corrigat potius Aëris impuritatem △e accenſo ligni junip. Myrrhâ, thure, maſtiche, cinamomo &c.

Ex cibis eligat, qui facilis concoctionis, ſucciq; laudabilis ſunt, ut

ut ſunt Hordeata, juſcula carnium cocta conſummata, ova ſorbilia, pulli gallinacei, capones &c. Fugiat ècontra carnem ſuillam, imò omnium animalium carnem ⊖e conditam, aut fumô indura- tam. Reſpuat fructus horæos, & quotquot in putrilaginem prona ſunt, quales ſunt ceraſa, melones, pepones, cucumeres, nocteq; vel unâ Lunâ nati fungi &c. Probantur verò amygdalæ dulces uvæ paſſæ, nuces pin. piſtac. Pro potu ſit decoctum hordei cum paſſulis &c. Cereviſia probè defœcata, veronicata &c.

Quoad *Motum*, hic nunquam vehementior ſubeunda, favente tamen cœlo, & ſpirantibus ventis temperatis, ubi profectior fuerit dies, deambulare utiq; poterit. Medio hôc in paſſu tutiſſimus ibit.

In Somno & Vigiliis pariter mediocritatem tenebit. Somnus au- tem de nocte ſalubrior videtur, hinc quantum poſſibile, hic tum in- ſtituatur.

Evacuationes debitæ nunquam retinendæ ſunt: ea quæ non de- bent ex naturæ lege evacuari, retardentur.

Animi tandem pathemata, ſanguinem, ♌us & conſequenter to- tum corpus inſigniter alterantia, à ratione dirigantur. Audeat pro- inde aliquantum lætari; curas, moroſaq; negotia, variis oblecta- mentis, inprimis tamen Muſicâ, fallat, cogitans mœrorem & triſti- tiam corpori non exiguum damnum afferre poſſe, quô moni- etiam finem impono, ſperans, B. L. Te ad alia properanti condonaturum, ſi in omnibus *Tibi* non ſatisfacere potui.

D. T. O. M. S. L. H. E. G. I. Æ.

COROLLARIA.

1. *Sanguis propriè ſic dictus materialiter non nutrit.*
2. *Liquor fermentalis aliis dictus, qui in ventriculis jejunorum animali- reperitur, non eſt acidus, nec differt à lympha totius corporis.*

SIccine promeritos tandem TIBI quæris honores,
Dum poſcis ſtudiis præmia digna tuis?
Gratulor! & laudo tantos, quos ſuſcipis, auſus;
Hic labor eximiô cinget honore caput.
Perge, quod eſt reliquum, ad felicem ducere finem;
Non deerunt *votis* proſpera fata *Tuis*.

Nobiliſſimo DN. DOCTORANDO ſemper ſincero, adeoq; vero in- ſeparabiliq; Amico ſuo boni ominis ergò poſuit

J. M. Boſch, J. Cand. Reip. patr. p. t. Ca